

lit vero iudicium super institutione præsentati Francisci de Grandis, et restitutione fructuum, usque dum Episcopus referret de causis denegatæ institutionis. In Balneorigien. Beneficii die 17 Febr. 1821.

(131. Cum Parochus suburbanus Ecclesie S. Guirici Florentinæ Diocesis auxilio indigeret Capellani Curati, ac vicissim pensio scutatorum quadraginta huic assignata insufficientis esset, antequam annueret S. C. ut Capellania sub titulo Sancti Bonaventuræ redderetur amovibilis, et uniretur Capellano Curato pro tempore, quamvis laici patroni in id assentirentur, necnon hujus Capellanæ onera Missarum reducerentur, rursus Archiepiscopo scribendum esse duxit ad mentem. In Florentina Unionis die 15. Aprilis 1820. ad 1. et 2. Dub.

(132-133. Prævio recessu a decisio sub die 8. Februarii 1817. quatuor Capellanas, attenta paupertate patronorum, ad unam tantum reduxit S. C. cum onere Missarum quotidianam applicandi pro omnibus, pro quibus quatuor Capellanæ erant erigendæ, nec non statuit, ut assignaretur congruus fundus liber, super quo curaret Archiepiscopus hypothecariam inscriptionem fieri, et oneratam voluit patronorum conscientiam pro redintegratione aliarum Capellanarum, quatenus melioris evaderent fortunæ. In Januen. Reductionis die 2 Junii 1821.

(134. Confratribus Sodalitii SS. Sacramenti in Ecclesia S. Mariæ del Patiglione Montis Madii Feretrane Diocesis erecti, ad se nominationem Capellanæ Fabri pertinere contendentes, iudicium differendum censuit S. C. et voluit, ut coadjuvarentur probationes, et referret Episcopus de fundo Capellanæ, et de numero Missarum, et quomodo fuerint adimpletæ, vivente Sacerdote Sarti necnon a quo idem fuerit nominatus Capellanus, et quæ relatio sit onerum Missarum, quæ ab ipso adimplebantur, cum Capellania erecta ex legato Fabri, et post ejusdem Sarti mortem effectum habitura. In Feretrana nominationis die 24 Junii 1821.

(135. Attenta reddituum imminutione, nec non necessitate impendendi in augmentum dotationis Capellanarum S. C. censuit esse consulendum SS. pro absolute Missarum in præteritum non celebratarum. In Januen. Condonationis, Reductionis, Translationis, et Absolutionis die 21. Julii 1821, ad 4 et 6. Dub.

(136. S. C. ab Ecclesia Paroeciali S. Michaelis loci Olivastro ad publicam Capellam ruralem Familiæ Gimelli Patronæ unius Capellanæ translationem permisit, tum quia nullum ex hac præjudicium infertur Ecclesie Paroeciali ob erectionem alterius Capellanæ ab uno ex Gimellis factam, cum quia valde utilis est incolis; namque alias sæpe sacrum non audirent. Statuit vero S. C. ut a Capellano in diebus festis recitentur cum Populo actus virtutum theologicalium, et consulatur SS. pro approbatione. In Januen. Condonationis, Reductionis, Translationis, et Absolutionis die 22. Julii 1821. ad 3. et 4. Dub.

(137. Duas Capellanas a quodam Julio Cæsare Lattaro Villæ S. Sebastiani Marsi-

cane Diocesis relictas liberæ collationi Episcopi, in quatuor esse dividendas, ut quatuor Clericis sufficiens daretur titulus ad Ordines recipiendos, instante eodem Episcopo, censuit S. C. facto verbo cum SS. In Marsorum Divisionis Capellanarum die 22. Decembris 1821.

(138. Juxta votum Episcopi Administratoris Anagninæ Diocesis ad sublevandam inopiam Simonis Panetta Oppidi Carpineto S. C. suspensionem nominationis, et administrationem Capellanæ ab Hercule et Annuciata Panetta fundatæ, illi tamquam patronus concessit, ejusque bonis frui permisit, ita tamen ut ejusdem Capellanæ oneribus plane satisfaciat. Voluit vero, ut Episcopus curaret fieri inscriptionem hypothecariam super bonis Capellanæ, nec non attenta paupertate, et aliqua bona fide patroni, illum, celebratis tantum quatuor Missis lectis, absolvi, et fructus omnes jam perceptos condonandos respondit, facto verbo cum SS. In Anagnina Nominationis die 22. Februarii 1823.

(139. Antequam Sac. Congregatio de hæreditaria qualitate de prælacione Familiarum Vici et Bianchini, de nominatione ad Communitatem pertinente, de OEconomii deputatione et administratione bonorum aliquid decerneret, prorogavit iudicium; ut Vicario Apostolico juxta mentem scriberetur, quæ fuit, ut prævia distincta informatione, et voto super novis precibus, exhiberentur codicillus, Capitula anni 1757. nec non exemplar omnium actorum gestorum coram E. D. Card. Forolivii Legato, et audirentur in scriptis Patresfamilias interesse habentes, præfixo ab eodem Vicario Apostolico partibus termino ad deducenda jura, quo elapso, causa reproponeretur ex officio. In Ariminen. Capellanarum die 14 Junii 1823, ad 1. 2. 3. et 4. Dub.

(140. Quum rescriptum S. C. a Summo Pontifice confirmatum, quo indultum fuit, ut quædam Capellanæ Urbevetanæ Cathedralis, inter quas recensetur Capellania a Francisco Ravizza fundata, reducerentur ad fructus superextantium Capellanarum augendos, nullum fabricæ Ecclesie Cathedralis, ad quam juspatronatus memoratæ Capellanæ Ravizza pertinere contendebat Canonicus Joseph Palazzi Orienti, afferret detrimentum, nec alio obreptionis aut subreptionis vitio laboraret, non intrare arbitrium pro aperitione oris, ideoque standum in decisio, et ad mentem respondit S. Congregatio In Urbevetana Reductionis, et Applicationis die 24 Junii 1824, ad 1 et 2 Dub.

(141. Ad augendam congruam parochialem Ecclesie Sancti Flaviani Oppidi Capitignani, quinque eidem Ecclesie univit SS. per Bullas beneficia simplicia, ita tamen, ut Parochus teneretur assumere Coadjutorem in exercitio curæ, cum assignatione duarum ex tribus partibus reddituum beneficiorum post soluta omnia onera, qui dependenter a Parocho exercere deberet munera strictæ parochialis, ac interesse diebus festis simul cum Parocho divinis Officiis, atque ut Parochus hunc dimittere non posset absque venia Ordinarii,

eidemque Parocho præscripsit dimissionem alterius beneficii S. Pauli ad Nurum. In Reatina Unionis Beneficiorum, quoad Paroeciam S. Fl. viani die 6. Januarii 1825. ad 1. Dub.

(142. Cum quæreretur an et quomodo descendentes etiam feminæ Theresiæ Broglia Vitali admittendæ essent ad perpetuam laicalem Capellaniam, quam Antonius Broglia Phydeanus in Diocesi Asculana pro linea masculina Brogliæ, et Constantini constituerat, expresse denotans se in id unice contendisse « di sollevare dalle miserie la Casa Broglia destituita di ogni altro umano soccorso; » E. Patres animadvertentes, quod sublata Sodalitate SS. Trinitatis, cui, deficientibus primo vocatis, jus nominandi Capellanos obvenerat, Theresia impetraverat habitacionem, qua ipsa ad vitam donata fuerat, prorogari etiam post obitum suum favore filiorum ac descendentium tam masculorum quam feminarum, durante tamen suppressione Sodalitatis, cui redintegratæ jus nominandi et eligendi Capellanum competeret, ita tamen ut existentibus ejusdem Theresiæ Broglia descendentes, in quibus requisita a Fundatore præscripta concurrant, iidem et non alii a Confraternitate essent nominandi et eligendi, rescripserunt negative, salvo favore masculorum descendentium etiam ex feminis jure prælacionis, ad formam Indulti. In Asculana Capellanæ 27. Aprilis 1833. ad 1. Dub.

(143. Nihilominus consentiente Sodalitate precibus Catharinæ Vitaliæ filiæ Theresiæ Broglia propter ejus inopiam et agnationem cum Testatore, sub hac tamen conditione, ut de petita perpetuatione gaudeat tantum Oratrix, satisfactis omnibus oneribus eidem Capellanæ inherentes, et ne transeat ad alios hæredes et successores, sive nupserit, sive non nupserit, E. Patres censuerunt consulendum esse SS. pro concessione administrationis Capellanæ favore Catharinæ Filiæ Theresiæ Broglia Vitali juxta votum Episcopi, deputato Administratore Ecclesiastico, qui adimpletis oneribus, tradat Oratrici quod supererit ex annuo reddito, captaque inscriptione hypothecaria. In eadem ad 11. Dub.

(144. Capellaniam a Julio Pallavicini e Cremonensi Diocesi fundatam verum ac reale Ecclesiasticum Beneficium, non autem simplicem Capellaniam aut laicale salarium, uti contendebant fratres Motti, qui bona ejusdem emerant, perpensis omnibus rerum adjunctis, judicavit Sac. Congregatio. in Burgi S. Dominici 3. Augusti 1833. ad 1. Dub.

(145. Proindeque proposito dubio an et quomodo consulendum esset pro assicuratione census ejusdem Capellanæ, rescripserunt E. Patres affirmative; et firma remanente deputatione Administratoris juxta Episcopi Placentini Oratorum Motti Antistitis votum, Episcopus, adhibitis etiam juris et facti remediis, curet recuperationem, et assicurationem bonorum. In eadem ad 2. Dub.

(146. Amplissima Mattheorum gente, quæ Joviensium ducatu fruitur et patronali binarum Capellanarum in Paroeciali Ecclesia B. M. V. syderibus receptæ, quarum altera Farnesiana SS. Sacramento, altera a SS. Lauren-

tio et Carolo nuncupantur, vindicante sibi jus amovendi Capellanos, qui alio vocantur ab Episcopo, licet titulo earumdem ipsi ad S. Ordines sint promoti; Sacra Congregatio ex eo quod primam Capellaniam ab onere residentie exemptam, alteram vero eidem obstrictam renunciaverat, rescripsit id juris Patronis non competere quoad Capellanum Farnesianum, bene vero quoad Capellanum SS. Laurentii et Caroli, dato termino sex mensium ad deliberandum, nisi prius legitimo titulo aliter provideatur. In Amerina Capellanarum 3. Augusti 1833, ad 3. Dub.

(147. Antequam quidquam decernerent E. Patres super Capellaniam per Antonium Franciscum Buratti Cassianodunensem fundatam, et super objecta Simonæ labe, qua aspersæ dicebantur tum cessio juris nominandi facta per Josephum Buratti patronum, tum transactio qua Sacerdos Vitalius ad eandem præsentatus competitorum Augustinum removerat; vel super precibus Petri, et Quintiliani Buratti Compatronorum, quibus in acri hac controversia, alter, dilata in aliud tempus nominatione, redditus Capellanæ sibi addici postulabat ut filiorum institutioni consuleret, alter summa egestate et inopia laborans, ex Capellanæ censu alimenta flagitabat; vel tandem super supplicii Cassianodunensium Canonicorum Libello, quo, post recensita complura onera quibus premuntur, quia pertenuis eorumdem Census iisdem perferendis imparsit, petebantur bona Capellanæ Capitulari patrimonio addicerentur; animadvertentes in primis diluenda esse quæ validitati nominationi opponerentur, vehementerque suspicandi causam adesse de bona testium fide, iudicium differre maluerunt, mandantes ut testes examinarentur. In Laurentiana Capellanæ 7. Septembris 1833, ad 1. 2. 3. 4. Dub.

(148. Acriter contendentes Episcopo Septempedano, et Patrono Ecclesiasticæ Capellanæ ab ipsius auctore Coscorum nuncupatæ, utrum ejusdem collatio ab illo facta favore Clerici Stephani Salvatori valida esset, vel potius sustineretur nominatio Canonici Paladini a Patrono edita, E. Patres negative ad primam partem, attentis peculiaribus circumstantiis, affirmative vero ad secundam, rescripserunt in S. Severini Capellanæ 7. Septembris 1833, ad 1. et 2. Dub.

(149. S. C. diei 20. decembris 1834, executioni jam demandata, quum ex Capellania Ciani fructus superextarent in scut. 40. ex una parte Capitulares S. Venantii, ex altera Capellanæ Rector, et patroni Joseph et Nicolaus Ciani postularunt, ut scutata illa ob litis expensas sibi erogarentur, contra fundatoris voluntatem, quæ caducitatis penam infligebat; statuit S. C. ut demptis arbitrio Episcopi impensis, ad bonorum Capellanæ instaurationem, reliquum in patronorum subsidium impertiret. Camerinen. Capellanæ die 27. Febr. 1836.

(150. Quum Vicarius Generalis Bononiensis ad Capellaniam Belloni vocasset Archiepresbyterum Ponticuli, agente Petro Lellini, qui de activo jure patronatus contendebat, S.

C. edixit factam institutionem esse infirmam, et ex lege foundationis teneri Capellanum domum designatam inhabitare, atque ibi ex præscripto pueros edocere. In Bononien. Capellanæ die 26. Martii 1836.

(151. Quum menti S. C. satis superque factum fuerit, EE. PP. defunctæ N. N. voluntatem interpretantes, decreverunt, ut illico Capellania institueretur in Ecclesia SS. Stigmatum, cui pro utensilibus sex annua scuta, Capellano autem octoginta pendenda forent; Altaria vero tunc erigenda curarentur, quum redditus ad summam optatam pervenerint. Dein S. C. condiciones nonnullas præscripsit, nonnullasque propositas ab Erminio probavit, ac illam inter cæteras, qua ipse quoad vixerit Capellaniarum patronatu perfruatur. Id ead. 25. Junii 1836.

(152. Sed iterum, Erminio rogante, alteram Capellaniam in Ecclesia B. V. de Monte Carmelo *alla tre cannelle* erigendam fore, ob præsumptam Testatricis voluntatem, quæ peculiari affectu Carmelitanam hanc Ecclesiam prosequatur, declaravit S. C. servatis in reliquis forma et conditionibus resolutionis diei 25. Junii. In ead. 10. Septembr. 1836.

(153. Nominationem Sacerdotis Galli Biebena ad Capellaniam B. M. V. a fratribus Pepoli, intra legitima tempora factam confirmavit S. C. In Bononien. jurispatr. die 10. Sept. 1836, ad 2. Dub.

(154. Quod non constitisset de urgenti prorogationis causa, Indultum suspensionis Capellanæ Marco Manfredini ad decennium concessum prorogare renuit S. C. antequam decennium ipsum expiraret, ac Oratori respondit ut recurret elapso decennio. Guastallen. Indulti die 20. Januarii 1838, ad 1. Dub.

(155. Antequam S. Ordo definiret causam Lauretanam Capellanæ super concordia, quæ alias diversa facie die 7. Septembris 1833 discussa fuerat, imperavit, ut scriberetur Episcopo, qui auditis in scriptis omnibus Compatronis super proposita concordia, referret de annuo reddito, et oneribus Capellanæ, ducto calculo per decennium. Lauretana Capellanæ super concordia die 22. Januarii 1838.

(156. In decisio pariter stetit in Lauretana quadam inter Franciscum et Leopoldum Gasperini 27. Maii 1837. qua resolutum fuerat constare de jurepatronatu Capellanæ Carnazana — Græca favore Leopoldi, eique capellaniam dandam esse, qui a Leopoldo nominaretur. Et quoad fructus decursos dumtaxat, inspectis peculiaribus circumstantiis, maxime contententium paupertate, placuit ut ii, demptis oneribus, dividerentur inter Leopoldum, et Franciscum, facto verbo cum SS. et ad Episcopum pro executione. Lauretana Juspatron. et Capellanæ die 17. Febr. 1838, ad 1. 2. et 3. Dub.

(157. S. Congr. concessit Equiti Ladislao Matteilibere retinendum, perpetuoque fruentium Fundum, de quo ille dubitabat utrum ad se, vel ad Capellaniam pertineret, quia in syngrapha locationis dicebatur Capellanæ, in hujus tamen foundationis tabulis non reperiebatur descriptus, cum ceteroquin remaneret Capellanæ bona ad onerum satisfac-

tionem sufficientia. In Marsorum ad 3. dubium die 26. Februarii 1838.

(158. Impetrato novæ audientia beneficio, licet iterum proposita fuerit causa Bononien. Capellanæ 26. Martii 1836, qua decisum fuerat, non sustineri Capellanæ collationem Dominico Angeli factam, sed Capellanum teneri inhabitare domum a fundatore extructam, et pueros edocere, S. C. in decisio standum esse decrevit, recessitque a decisio in 4 dubio tantum, inspecta penitus testatoris voluntate et populi commodo; missas reducens ad unam singulis diebus festis etiam reductis. Bononien. Capellanæ die 24. Martii 1838, ad 1. 2. 3. et 4.

(159. Andreæ autem Giordano, qui missarum pariter patronatæ Capellanæ celebrationem omiserat, absolutionem denegavit, præcepitque ut missæ inadimpletæ celebrarentur ex canonibus non solutis ad taxam eleemosynæ manualis, supplendam ex superextantibus redditibus, qui favore patroni erant investiendi. Neapolitana Capellanæ die 28. Junii 1838, ad 3. Dub.

(160. Cum dubitatum fuerit utrum Ecclesiastica, vel Laicalis foret Capellania, ad nutum amovibilis, in quod simplex missarum onus cum eleemosyna manuali fuerat impositum, et de cujus erectione nec vere, nec præsumptive constabat, laicalem definivit S. Congr. In Nursina Jurispatronatus ad 1. dubium 9. Julii 1838.

(161. Contententibus aliquibus ex Compatronis de libertate fundorum, ex quibus Capellanæ onerum desumebatur implementum, quia familia nomine in antiquis censualibus tabulis reperiebantur descripti, censumque ad summum scut. 300. super his impositum asserentibus, cujus summæ restitutionem offerebant; contra vero pugnantibus ceteris una cum episcopo compatronis, eosdem fundos ad Capellaniam pertinere tum ex pervetustis tabulis censualibus, ac inventariis antiquis confectis, tum ex antiquiorum depositionibus, tum demum ex S. Visitationis actibus, S. Congr. fundos prædictos ad Capellaniam pertinere definivit, eique servari mandavit. In eadem ad 4. Dub.

(162. Qua in eadem causa tertio proposita abnuit Leopoldi Gasperini precibus suspensionem Capellanæ postulantis, ut fructum dimidium pro augenda Parochorum congrua applicaretur, alterumque dimidium sibi cederet; sed attenda tantum Patroni ejusque Patru Francisci Gasperini inopia, annuam præstationem alimentariam scut. 30. favore Leopoldi, et scut. 20. favore Francisci concessit, non retardata nominatione Capellani. Lauretana Suspensionis die 28. Julii 1838, ad 1. et 2. Dubium.

(163. Andreas Giordano, cui competeat pro dimidio juspatronatus in quadam laicali Capellania, bonorum ejusdem Capellanæ dimidium cum adnexa Missarum obligatione alienaverat. Hinc S. Congr. Capellaniam omnino redintegrandam esse in possessione fundi alienati pronuntiavit. In Neapolitana Capellanæ die 28. Julii 1838, ad 1. Dub.

(164. Capellaniam vero sub titulo S. Domi-

nici jurispatronatus familiae Ceconi esse ecclesiasticam dixit, quia ex enunciatis Sacrarum Visitationum, et ex ultimo statu canonice institutionis apparebat esse beneficium ecclesiasticum, licet inveniri non potuisset foundationis Instrumentum. Ib. ad 2. Dub.

(165. Sacerdoti Carolo Ceccni, qui tribus Capellanis fruebatur vi jurispatronatus tum activi, cum passivi postulanti, an et quomodo de illarum incompatibilitate constaret cum Canonatu, quod possidet in Collegiata Sublacensi Oppidi Trevi, respondit Sac. Congregatio, quoad primam S. Caroli, et secundam S. Francisci, tum ob tenuitatem reddituum, tum ob defectum erectionis auctoritate Ordinarii, et quia non erant sub eodem tecto, non esse incompatibiles; quoad tertiam vero sub titulo S. Dominici, respondit pariter negative, sed juxta modum, si nempe non sit erecta in eadem Ecclesia Collegiata S. Viti. Ib. ad 3. Dub.

(166. Suspensioni Capellaniarum, quam pro filio in Seminario alendo obtinuerat sub anno 1841. Theresia vidua Neri, obsistente earumdem Administratorum, tum ex necessariis fundorum reparationibus ac ex summa colonis ministrata, tum quod Oratricis filius conditioni in Seminario degendi non satisfecerat: Oratrice contra rescripti executionem una cum missarum reductione postulante, sublata conditione, quam filius epileptico morbo laborans adimplere nequibat; ac demum sibi alimenta assignari super iisdem Capellanis contentente Stefano Ricci uti Compatrono, S. C. ut singulis satisfaceret, impertita juxta votum Episcopi reductione ad dies festos per quinquennium, summam scutor. 14. Riccio assignavit durante indulto ann. 1841. scuta vero annua 46. Viduæ Neri, sublata supradicta conditione, ac reliquos redditus in fundorum reparationem erogari, mandavit. In Perusina Capellaniarum die 17. Sept. 1838, ad 1. 2. 3. et 4. Dub.

(167. Trinas, quibus potiebatur Gens Sylos Capellanias de quarum foundationis legibus haud plene constabat, proposuit hodiernus Possessor, Ecclesiæ Paroeciali S. Leucii perpetuo uniri, et constituto censu favore Parochi pro tempore super tot bonis, quot implemento Missarum sufficerent, capta congrua inscriptione, cetera bona in familiae suæ utilitatem libera converti. Ast PP. E.; quod de relativa familiae Sylos paupertate haud satis constaret, et gravissimam Capellaniam pateretur imminutionem, preces rejecit. Bituntina Capellanæ die 24. Novembris 1838.

(168. Cum cognovisset Episcopus perpetuam retineri ab Aloysio del Monte in habitu seculari Capellaniam pro Clerico fundatam, cum obligatione eam dimittendi si Presbyteratus ordinem sumere vel nollet vel nequireret; præsertim quod Canonica institutione careret, Patronis terminum ad nominandum præfixit, eoque inutiliter elapso, eam contulit Sacerdoti Macchioni; qua de re Patronis jura sua pessumdanda reclamantibus, novumque ipsis impertiri terminum postulan-

tibus, S. C. negativum dedit responsum. In Civitatis Castellii Beneficii die 17. Decembris 1838.

(169. Cum dubitaretur an Capellania ita laicalis esset, ut etiam laico conferri valeret, ita ut eam consequi posset in habitu laicali Sanctes Recchioni; ac utrum expediret ejusdem suspensio ad fundorum meliorationem, S. Ordo ut tutius procederet, jam ab anno superiori ab Episcopo exquisierat de numero nominationum quæ a tempore foundationis peractæ erant, et an laici successive vel interpolate ad eandem nominati fuerint, an scientibus Episcopis id eveniret, transmissa earumdem nominationum copia. His habitis, causa iterum proposita, cum necessaria adhuc deficerent ad rectam ejusdem definitionem, denuo dilata fuit. In Fabrianen. Capellanæ die 17. Decembris 1838, ad 1, 2 et 3 dub.

(170. Super Capellania a Francisco Belloni erecta cum onere Capellano celebrandi missas in Capella sita in latifundio Mezzana, et pueros inibi erudiendi, et cum reservatione Juris patronatus fidei commissarii Belloni, hisque exhaustis, Vicario Generali Bononiensi pro tempore; hoc sibi jus delatum vindicante hodierno Vicario Gen. adversus Petrum Cellini præfati latifundii; concordia inita est; qua Cellinius sibi assumpsit reparationem, et manutentionem Capellæ, et sacrarum supellectilium; Vicarius vero ejusdem familiae favore cessit juspatronatus; missas autem celebrari statutum est in Capella sita in fundo Jortone, reservata tantum celebratione diebus festis in fundo Mezzana, quum inibi gens Cellinia rusticaretur. Porro S. Con. attentis actualibus circumstantiis, concordiam approbavit juxta votum E. Archiepiscopi, facto verbo cum SS., et capta inscriptione super latifundio, tam pro securitate missarum, quam pro manutentione Oratorii, et sacrarum supellectilium. In Bononien. Capellanæ die 1. Febr. 1839, ad 1 et 2 Dub.

(171. Conventionem anno superiori propositam ab E. Firmano Archiepiscopo cum Abbate Commend. SS. Rufini, et Vitalis quoad dismembrationem Paroeciae sub invocatione eorundem Sanctorum, aliisque unionem, rebus penitus inspectis, approbavit S. Ordo juxta modum, nempe, firma remanente cura animarum in Ecclesia S. Trinitatis, ab. Vicario Curato in eadem Ecclesia, cui assignetur ultra domum et viridarium, congrua in scut. 50, ex redditibus Abbatiae persolvendis, nisi E. Archiepiscopus de re rogatus assensum præbeat cessionis Capellaniarum, de quibus in art. 7 et 9 concordia Marcelli; quo in casu ab Abbate sint scut. 25 dumtaxat persolvenda, esse confirmandam deputationem Capellani Curati ab Abbate pro tempore faciendam, et amovibilis ad nutum ejus, qui curam animarum dependenter a Curato Vicario exercent citra flumen Tenua in Ecclesia SS. Rufini, et Vitalis, assignatis eidem congrua habitatione in domo Abbatiali ac stipendio scut. 25, ex redditibus Abbatiae, præter Ca-

pellaniam Perusini et Spagnolim, adimpletis Missis, oneribus, ac muneribus tam pro Vicario Curato, quam pro Capellano in concordia Marcelli recensitis, facto verbo cum SS. super omnibus. In Firmana super conventionione Capellanæ Curatæ die 1 Feb. 1839, ad 1, 2 et 3 Dub.

(172. Ex impetrato novæ audientiae beneficio, licet iterum proposita fuerit causa Firmana Capellanæ, qua sub die 28 Junii 1833, contententibus de prælativa vocatione passive ad Capellaniam sub invocatione S. Mariæ Magdalenæ in terra S. Espidii institutam, Tobia Sacerdote Acciarini, et Clerico Aloysio Fluarneri, et utroque præ alio dispensari flagitantibus, quod ille Beneficiorum pluralitate, hic ætate prohiberetur eam obtinere, responsum fuerit in utroque favore Acciarini, tamen S. Congregatio, re penitus inspecta, in decisio standum esse decrevit, et amplius. In Firmana Capellanæ die 2 Mar. 1839, ad 1 et 2 Dub.

(173. Antequam S. Ordo definiret causam Firmanam Capellanæ super conventionione ab E. Archiepiscopo Firmiano cum Abbate Commendatario SS. Rufini et Vitalis inita quoad dismembrationem Paroeciæ S. Rufini, et Vitalis, aliisque unionem, sub pene diversa facie sub die 29 Julii, et 18 Novembris an. 1837, discussam, ad rem maturius dignoscendam rescripsit, Dilata, et scribatur Archiepiscopo, qui referat de statu Fabricæ Ecclesiæ, et domus Parochialis loci Marnachia, de executis reparationibus, sin minus de expensis necessariis et mediis jam statutis ad eas perficiendas. In Firmana Capellanæ super conventionione die 2 Martii 1839, ad 1, 2 et 3 Dub.

(174. Numerum Missarum Capellanæ a Joanne Francisco Longo erectæ determinandum esse ex ratione reddituum, qui habentur a fundis, non autem statuendum esse in Missa quotidiana; atque adeo illum reducendum esse pro intranti quantitate ad taxam perpetuam, inspecta Testatoris voluntate, dehinc S. Ordo. In Bovinen. Capellanæ 2 Martii 1839, ad 2 et 3 Dub.

(175. Reintegrandum esse Beneficium seu Capellaniam in Cathedrali Ecclesia sub invocatione Virginis Perdolentis, cujus bona cohæredes Reale suo Marte sese inter dividerant, jussit S. Ordo, et interim pro virili parte Ferdinandi Reale emissa ab eodem renunciatione juris patronatus, injunxitque Episcopo, ut omnibus juris et facti remediis cogeret ceteros cohæredes ad reintegrationem, caperetque inscriptionem hypothecariam. In Bovinen. Capellanæ 23 Martii 1839, ad 1 Dub.

(176. Absolutionem pro Missis non celebratis Capellanæ a Joanne Francisco Longo erectæ S. Ordo concessit quidem Ferdinando Reale, alteri ex obligatis, attenta ejus præsertim in reintegranda pro virili Capellaniam sollicitudine; denegavit vero aliis cohæredibus qui cætera Capellanæ bona sese inter dividerant, monuitque, ut consulerent conscientiam suam. In Bovinen. 23 Martii 1839, ad 4. Dub.

(177. Prorogationem indulti de suspensione nominationis Capellanæ, quam Marco Manfredini S. Ordo die 20 Januarii superioris anni denegavit, eo quod non constiterit de urgenti ejusdem necessitate, antequam decennium elaberetur, rebus in melius commutatis, prævio recessu a decisio, impetratus est ad aliud decennium ad formam præcedentis, et ab ultimo die expiraturi indulti. In Guastallen. Indulti 4 Apr. 1839, ad 1. Dub.

(178. Quas alias sub anno 1833 expenderat quæstiones de Capellaniam Buratti, an danda esset institutio Presbytero Petro Vitali majori vocum numero polleati, qui tamen simoniam contraxisset ferebatur in transigendo cum competitore Augustino Buratti, ac nominatus ab eo, qui plures voces simoniæ acquisisset; an potius suspendenda esset nominatio favore Petri Buratti compatroni, ut ita filiorum institutioni Buratti compatroni, consuleret; an super ea decernenda alimenta alteri compatrono pauperi Quintiliani Buratti; an tandem pro oneribus sustinendis danda Canonicis Montis Cassiani: expleto formali testium examine, quod alias jusserat, reassumpsit S. Ordo; porro simoniam exulare comperit, adeoque Vitalio institutionem dandam esse probavit; compatronorum simul precibus annuit, reservata annua præstatione alimentaria scilicet 20 ad decennium, æque dividenda inter filios Petri, et Quintilianum cum jure accrescendi in casu obitus; Capituli autem vota omnino rejectit. In Lauretana Capellanæ die 4 Aprilis ad 1, 2 et 3 Dub.

(179. Ob Simoniam vitium in initum a quatuor compatronorum lineis in nominatione explenda ad Capellaniam Ecclesiasticam sub invocatione B. Virginis Carmelitidis a Petro Orlandi apud Marsos excitatam favore Didaci Valente, aucto exinde jure compatronis innocuis, Angelo Blasetti ab istis legitime nominato, EE. PP. Capellanæ ipsius Institutionem dandam esse decreverunt. In Marsorum Institutionis 27 Apr. 1839.

(180. Multas, ac inter se diversas preces a Petro Francalancia Patrono Capellanæ pro Clerico vel Sacerdote in Oppido Castri Fiddardi fundatæ identidem porrectas, quibus primo illius fructus sibi addici postulaverat, subinde ab ætatis defectu dispensari Sororis filium a se nominatum, quatenus primæ preces rejectæ fuissent, tandem cæteris omissis, Capellaniam prævia dispensatione, filiolo sibi nuper nato concedi, rejectit S. Ordo; qui insuper respondit non sustineri nominationem Clerici Carini interim peractam a Capitulo, ad quod post quadrimestre a Capellanæ vacatione ex testatoris voluntate jus nominandi devolvi debet; nec pravius committi debere Capellani designationem Episcopo, sicut ipse pro hac vice ad submendas turbas proposuerat; sed esse explendam a Patrono novam nominationem infra quadrimestre ad formam foundationis. In Lauretana Capellanæ 9 Maii 1839, ad 1, 2 et 3 Dub.

(181. Fundum a Ferdinando Nicolini pro

erigenda Capellania in Ecclesia Terræ S. Quirici relictum cum onere binæ Missæ in hebdomada revindicandum esse jusserunt E. PP. pro redintegratione Capellanæ, commissæ Archiepiscopo ejusdem transcriptione, in actu erectionis faciendæ, quæ jamdiu ommissa fuerat; necnon expleri nominationem ad formam Testamenti, ac rejecerunt preces emptoris ipsius fundi pro reductione Missarum. In Camerinen. Capellanæ 6 Junii 1839, ad 1, 3 et 4 Dub.

(182. Attenta bona fide, de qua testabatur Antistes, S. Congregatio consulendum SS. rescripsit pro absolutione, ac condonatione fructuum quos hæredes Ferdinandi Nicolini perceperunt ex feudo ab eo legato pro Capellaniam erigenda; cujus licet præscriptum missarum onus adimplere curassent, neglexerant tamen erectionem, ac Capellani nominationem. In Camer. Capellanæ 6 Junii 1839, ad 2 Dub.

(183. Quum in jure non repugnet duplex beneficium incompatibile adipisci, sed tantum ultra duos menses retinere, institutionem in Capellaniam ad Ecclesiam S. Dominici sub invocatione S. Andreæ Apostoli Cæsena erecta cum onere celebrandi per seipsum, dandam esse Hieronymo Fantaguzzi legitime nominato, ac passive vocato decreverunt EE. PP. etiamsi ille Canonicatu in Vaticana Basilica potiretur. In Cæsena. Capellanæ 27 Julii 1839, ad 1, Dub.

(184. Nominationem Sacerdotis Domesi a Patrono Gentilonio expletam post elapsam trimestre in fundatione statutum sustinuit S. Congregatio, attenta præsertim pendentia recursus ad S. Sedem pro inhabilis nominandi dispensatione, eamque rejectit favore Panfilii a Sacerdote Bravi factam, cui jus nominandi devolvi debuisset in priorum Patronorum negligentia; adjecitque respectu Domesii in Franciscallum familia olim recensiti clausulam, « dummodo infra duos menses deoat de habitatione ad beneficia. » In Auximana Capellanæ, seu Canonicatus, 27 Julii 1839.

(185. Cæsaris Pennacchiotti, etsi per subsequens matrimonium legitimi, nominationem a majori Patronorum numero editam sustineri, eumque esse manutenendum in possessione laicalis Capellanæ a Riccardo Fontana erectæ pro natis ex legitimo matrimonio, definitum fuit Congregatione diei 14 Decembris superioris anni, excluso Henrico Pennacchiotti, ex adverso eandem sibi asserente, quod unice Clericus extaret ex passive vocatis, cum Capellaniam proposuit, atque ex legitimis esset nuptiis procreatus. Porro in hac resolutione perstitit S. Ordo reiternum inspecta, prolato Rescripto « In decisio et amplius. » In Firmana Capellanæ, 22 Augusti 1839, ad 1 et 2. Dub.

(186. Super fructus vero pretii honorum alienatorum, quos incremento congruè ejusdem Paroeciæ Pantanensis Ecclesiæ adjudicandos esse contendebant fratres Sodalitii, quod vocant del Confalone, duxerunt satis provisum per Episcopum erogatione jam

facta. In eadem die 7 Septembris 1839, ad 3. Dubium.

(187. A laicali Capellaniam, quam Jacobus Servadei domo Cori aldi pro Clericis familiaris Paris, et Gioacchini instituit, Bernardinum Gioacchini ob clericalium vestium abjectionem, ac sæcularium munerum exercitium ipso jure excidisse contendit Paulinus Paris, ac sese utpote ex vocatorum genere in ejusdem possessionem immitti; e contra Bernardinus veniam postulavit eadem fruendi in statu laicali ad suam, ac familiaris paupertatem sublevandam. Super utraque petitione concinnatis dubiis EE. PP. rescribendum censuerunt — E. Episcopus euret præfigi terminum juxta constitutionem S. M. Benedicti XIII, incipien. — *Apostolica Ecclesia* — Bernardino Gioacchini ad parendum menti oii fundatoris, quo elapso declaret eum Capellanæ amplius non posse gaudere, et ad mentem; mens est pro suspensione nominationis novi Capellani donec Clericus Paulinus Paris ad legitimam ætatem pro Subdiaconatu pervenerit, et interim juxta votum E. Episcopi, adimpletis per Ecclesiasticum Administratorem deputandum oneribus, superextantes redditus dividantur inter Bernardinum, et Paulinum, facto verbo cum SS. In Senogallien. Capellanæ 21 Novembris 1839, ad 1, 2 et 3. Dub.

(188. Precibus Aloysii Caracciolo, qui ab obitu Patris sui, nempe ann. 1833, adeptus jus patronatus duorum Beneficiorum, alterum S. Mariæ et Jacobi in Aversana, alterum S. Padenæ titulo in Nolana Diocesi erectum, missis apud S. H. O. precibus, statim fructus omnes Beneficiorum nullo impleto onere perceperat. S. Congr. attentis peculiaribus circumstantiis, censuit supplicandum esse SS. pro absolutione ab omissis cum fructuum perceptorum condonatione, celebratis tamen Missis triginta, et soluta summa prudenti Episcopi Aversani arbitrio taxanda favore fabricæ Ecclesiæ quam Orator ad populi commodum, et patronatus munimen inædificabat. In Nolana et Aversana Suspensionis Nominationis, 23 Novembris 1839, ad 2. Dub.

(189. Contententibus ad Capellaniam a Riccardo Fontana institutam ex una parte Henrico Pennacchiotti, quod unice Clericus extaret ex passive vocatis dum Capellaniam poposcit, adversarius vero Cæsaris etsi legitimis nuptiis procreatus esset, dum Testator vocasset tantum « i nati di legitimo matrimonio; » ex altera Cæsare Pennacchiotti quod majores Patronorum voces præferret, Clericalis qualitas in Capellaniam laicali a Testatore volita non demonstraretur, quam tamen ipse, pendente vacatione, et recursu ad S. Sedem acquisiverat, ac tandem legitimatus fuisset per subsequens matrimonium; E. PP. Testatoris mente penitus investigata, responderunt favore Cæsaris, eundem in capta Capellanæ possessione manentem. In Firmana Capellanæ, die 14 Decembris 1839, ad 1 et 2. Dub.

(190. Antequam definiret S. C. super Con-